

DEO TRINUNO
ET
INCLYTO PHILOSOPHORUM SENATU
QVI LIPSIAE EST
CONCEDENTIBUS
DISSERTAT. HISTORICO-POLITICAM
DE
DICTATORIBUS
ROMANORUM,

PRÆSIDE

DN. L. JOHANNES OLEARIO,

GRÆCÆ LINGVÆ PROF. PUBL.
COLLEG. MAJ. PRINCIP.
COLLEGIATO,

PRÆCEPTORE ET COGNATO SUO ÆTA-
TEM DEVENERANDO, COLENDO,

AD DIEM XXII. DECEMBR. ANNI
M DC LXIX,

PUBLICÆ DOCTORUM CENSURÆ
SUBMITTIT

AUTHOR

Q. S. FLORENS RIVINUS, LIPS.

PHILOS. BACCAL. ET ALUMN.
ELECTORAL.

LIPSIAE

Typis JOHANNIS GEORGI

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

DEO TRININO

ET

INSTITUTO PHUOSOTHOLM SENATI

COMMISSARI

COMMISSARI

DESTITUTUM PHUOSOTHOLM SENATI

DIGITATIS

ROTUNDUM

DE

DIVISIOHNE OFFICIO

DE

DE

DIGITATIS

DE

DE

DE

DIGITATIS

DE

DE

DIGITATIS

DE



Q. D. B. V.

Cum Magistratum Romanorum cognitio non modo sit jucunditatis plenissima, sed emolumenta quoq; secum trahat maxima: Non planè oleum & operam perditurus mihi videbar, si, sepositis reliquis Romanorum Potestatibus, pro modulo ingenii mei, quod quam exiguum, nullus ignoro, Dissertationem de DICTATORIBUS hâc vice conscriberem, publicoq; ac placido Doctorum Examine submitterem. In elaborandâ verò hâc arduâ difficiliq; materia ita me gessi, ut Eruditorum discrepantes sententias, citra ullius injuriam, examinarem, quæq; probabilior apparebat, arriperem, paratus sententiâ cedere, si vel studium vel ætas meliora docuerit.

C A P. I.

DE NOMINE DICTATORIS.

§. I.

De Homonymia Vocis non est cur magnopere sumus solliciti, cum vel ex Titulo nostræ Dissertationis cuius ad oculum pateat: hîc nobis sermonem non esse de *Dictatoribus Libellorum*, quorum mentio fit *l. 39. §. 1. C. de Appell.* quicq; aliàs *Scriniarum Magistri*, *Αυτογραφεῖς* & *Rescriptores* dicuntur. *Gutherius de Off. Dom. Aug. l. 3. c. 3. p. m. 428.*

§. 2. Nec etiam de iis, qui Græci *Συμπόσιάρχαι*. Atheniensibus *Οινόπται*, vel etiam *Οφθαλμοί* dicebantur quorû officium erat in epulis leges bibendi ferre, & quoties quisq; ac quomodo biberet observare, *Casaubonus ad Theophr. Char. Eth. c. 10. p. m. 231.* quo sensu à *Plauto* usurpatum *Dictatorem* docent nos *Criticorum Principes*, *J. Lipsius Lect. Antiq. l. 3. c. 1. p. 149.* *C. Barthius Adv. l. 58. c. 15. p. 2757.* *Fr. Taubman. ad Plaut. Pers. Act. 5. sc. 1. p. 1165.*

A 2

§. 3.

§. 3. Sed de illis, qui Magistratus titulo in Republica Romana urgente necessitate Summæ Potestatis habebant Exercitium.

§. 4. Hi nomen suum sortiti sunt à *Dicendo*, vel quod à Consule dicerentur, *Varro l. 4. de L. L.* vel quod finita sua potestate futuros ipsi dictarent Magistratus, *Calvinus in Lex. Jur. fol. 284. Otto Tabor Jur. Publ. c. 3. p. m. 48.* vel quod dictabant ac præscribebant quidlibet quod æquum, justum & Reip. salutare judicabant, *Dionys. l. 7. c. 82.*

§. 5. Appellabant Hos Veteres alio nomine Prætores Maximos, uti vetusta Lex de clavo pangendo docet apud *Liv. l. 7. c. 3.* Populi Magistratos, *Cic. l. 3. de fin. Seneca ad Lucil. Ep. 109. Festus in Opt. Lex. Isidorus L. 9. Orig. c. 3. p. m. 1046.* Rectores Reipublicæ, *Liv. l. 4. c. 14.* Moderatores atque Magistros Consulium, *Liv. l. 2. c. 18.* Recentiores verò ut *Bodin. l. 1. de Rep. c. 8. & Grasvvinckel. de Jur. Maj. c. 4. & 10.* Summæ Potestatis Custodes & Reipublicæ Romanæ Curatores. His præmissis ipsam Pragmatologiam aggredimur.

C A P. II.

DE PRIMA DICTATORIS INSTITUTIONE.

§. I.

Postquam Sextus Tarquinius & Gener ejus Octavius (non Octavius, hoc n. Veliternæ gentis nomen esse constat,) Mamilius, Arcinorumq; Proceres, factâ omnium Latinorum Conspiratione, ingentem adversus Romanos collegissent Exercitum: Romanis verò res ad bellum necessarias comparantibus Cives egeni, qui debita Creditoribus solvere non poterant, ad arma vocati parere nollent nisi Scto remitterent debita, gravissima plebis adversus Senatum coorta fuit *seditio*.

§. 2. Hæc cum nullo commodiori remedio componi expeditius posset, quam si sublatis in præsens Consulibus, à quibus lege Valeriâ provocare licitum erat, Vir unus haberet ad certum tempus potestatem rerum ampliolem, quam esset Consulium: Hinc demum Senatus consilio, populiq; consensu. Titus Lartius (aliis Lartius) Dictatoris nomine Summum Imperium, pronunciantem Collega, Clælio, ad semestre concessum administravit.

Vide

Vide post Dionys. Halicarnass. H. R. l. 5. à cap. 72. usq. 82. Eutrop. Brev. H. R. l. 1. fol. 67. Suidam in Voce ΔΙΧΤΑΤΩΡ ex Recentioribus Joh. Nauclerum Vol. I. Chronogr. Gen. 53. fol. 244. Joh. Rosinum Antiq. Rom. l. 7. c. 17. p. 359. Val. Forsterum Hist. J. C. R. l. 1. c. 17. p. 74. seqq.

§. 3. Quo ANNO hoc factum sit, adhuc sub Judice lis est. Quidam NONO fere post Reges exactos anno illud accidisse sentiunt cum Liv. l. 2. c. 18. Eutropio l. c. Unde colligitur: Dictatorem primum creatum esse Anno ab U. C. CCLII. vel CCLIII. Olympiade 70. Anno Mundi 3472. Vid. Th. Zvvingerus in Theatro Vol. 28. l. 2. fol. 4247. Abrah. Bucholcerus in Indice Chronolog. p. 32. Joh. Cluverus in Epit. Hist. p. 71. Boxhornius de Imp. Rom. Diss. IX. §. 1. p. m. 70.

§. 4. Aliis verò præeunte Dionysio l. c. tertius ab hoc Annus placet, scilicet post Reges exactos DUODECIMUS, qui ab U. C. est CCLV. vel CCLVI. Vid. Pompon. Latius l. 1. de Mag. Rom. c. 16. p. m. 131. Lipsius de Mag. Pop. Rom. c. 17. p. m. 296. Majolus Dier. Canic. Tom. V. Colloq. 4. p. 125. Onuphr. Panvinius in Factis, Rosinus l. c. Christoph. Schraderus in Tab. Chronolog.

§. 5. Nos, si in tantâ historiæ illorum temporum ignorantia, neutri parti plenum assensum præbeamus, jure culpari non poterimus. Magis tamen inclinamus in sententiam posterioris Classis Dionysium præponentes Livio, quamvis, monente Georg. Hornio in Orb. Pol. P. 1. p. m. 150. aliàs longè felicius Historias Romanas ex Livio, quam ex Dionysio haurire liceat. Ratio nos movens est, quia Dionysius seditionem omnesq; circumstantias hujus rei plenius & accuratius pertractavit: Livius verò ipse confitetur, non satis sibi constare, quo anno & quibus Consulibus primum creandi Dictatoris mentio orta sit.

§. 6. Ex dictis his clarissimè patet cum primum Dictator proderetur, primariam, impellentem ac proximam causam fuisse, ut refractaria plebs comprimeretur & seditiosi tumultus sedarentur. Ad Boxhorn. l. c. §. 4. p. 72. Clapmarium l. 4. de Arcan. Domin. c. 19. p. m. 207. & Joh. Christfrid. Sagittarium in Observ. ad Clapmar. p. 184.

§. 7. Errant proinde, qui bella externa primum moventem causam fuisse, & Dionysii locum ad secundam Dictatoris constitutionem respicere arbitrantur, commoti Autoritate Pomponij l. 2. §. 18. ff. de O. J. qui tamen in Historicis fallax & immensum cæcavit,

tivit, ut ei, nisi narratio ejus cum aliis fide dignis Historicis conveniat, vix ac ne vix quidem fides habeatur. *Habnius in Orat. de Usu Chronolog. in Jur. Priv. annexâ Tractat. de Jure Rerum p. m. 256. 260. Lipsius ad Tacit. l. 6. Annal. p. m. 247. Th. Reinesius Epist. 31. ad Rupert. p. 162.*

§. 8. Sicuti verò in genere primarius & ut ita dicam, ordinarius usurpati hujus Magistratus scopus fuit: Maxima quæq; & ardua Pace belloq; præsentioris Imperii viribus, conficere; Unde *Livio l. 4. c. 56.* in rebus trepidis ultimum consilium dicitur Dictatoris creatio. Et *Vellejus l. 2. c. 28. n. 2.* priores Dictatura ad vindicandam maximis periculis Rempublicam usos esse ait. *Conf. J. H. Bœclerum in Not. ad Vell. Paterc. l. c. p. m. 105.* Ita in specie Dictatoris terror non tantum Democraticam vehementiam coercuit, sed aliquando etiam Optimatum certamina & Ambitionem in Ordinem redegit: Quomodo præprimis contigit A. U. C. CCLXXII. cum dissiderent Tribuni ac Consules, & alteri alterorum potestatem mutilarent, quâ de re legi meretur *Dionysius l. 8. c. 104.*

§. 9. Imò seqvioribus temporibus florente etiam Republicâ & procul à belli tumultu ac seditionum tempestatibus usurpatum Dictatorem accepimus. Videlicet Clavi ob pestilentiam, *Liv. l. 7. c. 3.* aut alienatas hominum mentes *Liv. l. 8. c. 18.* figendi gratia. Item Comitiorum Consularium habendorum *Liv. l. 7. c. 26. l. 8. c. 16. l. 9. c. 8. & 43. l. 22. c. 33. l. 25. c. 2. l. 27. c. 5.* supplendi Senatus, *Liv. l. 23. c. 22. Plutarch. in Fab. exercendarum quæstionum, Liv. l. 4. c. 14. l. 9. c. 26. l. 6. c. 16. & feriarum causa, Liv. l. 8. c. 40. l. 7. c. 28. l. 27. c. 35.* ut, si Prætor Urbanus morbo impediretur, esset aliquis, qui ejus loco quadrigis mittendis signum daret. *Conf. Stephanus Vinandus Pighius in Annal. Rom. Tom. I. lib. 2. p. 82. Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 1. c. 6. p. 9. 10. Lipsius l. c. p. 297. Janus Guilelmus de Mag. Pop. Rom. p. m. 325. Raphael Volaterranus Comm. Urban. l. 29. Rosinus l. c. p. 306.*

§. 10. Videntur autem Romani publicæ hujus administrationis EXEMPLUM desumpsisse à Græcis, ubi Αἰσχυρήται eligebantur à Civitatibus pro ratione temporum, non sine præfinito termino, neque perpetui, sed ad certum spatium, quantisper Reipublicæ postulabat utilitas. NOMEN autem à Vicinis Albanis, qui primi post Amulii, Numitorisq; obitum, deficiente stirpe Regiâ,

giã, Magistratus annuos crearent cum regiã potestate, Dictatores appellatos. *Dionysius l. 5. c. 82. Conf. Pighius l. 6. p. 82. Alex. ab Alex. l. 4. c. 23. p. 238.*

C A P. III. DE DICTATORIS CREATIONE.

§. I.

Creationem Dictatoris accedentes ante omnia disquirimus, à quonam summi Imperii administrationem delegatam acceperit Dictator.

§. 2. Hic si proprium illi attribueremus hujus Summi Imperii jus & exercitium, necesse esset, ut nos immisceremus Controversiã, quã adhuc inter celeberrimos Dd. nondum decisa ventilatur de *immediata ac proximã Majestatis causã*, quam semper Deum ter Opt. Max. esse contendunt *Magnif. C. Zieglerus de Regic. Angl. Exercit. II p. m. 52. Disput. l. de Jur. Maj. & in Not. ad Grot. p. 126. J. F. Hornius de Civit. l. 2. c. 1. §. 3. sqq. p. m. 120. sqq.*

§. 3. Cum verò statuamus Majestatem ipsam nunquam Dictatori collatam, sed nomine alieno semper ab eo exercitam fuisse, parum de ea solliciti sumus & potius statum Reip. Romanã, qualis fuerit cum Dictator crearetur, inspicimus.

§. 4. Hunc deprehendimus tunc temporis mixtum fuisse, ex Democratia & Aristocratia, ac demum dicto Dictatore, respectu *formæ externæ*, accessisse Regimen Monarchicum.

§. 5. Inde facili negotio concludimus: Senatam Populumq; Romanum Jus extremæ Provocationis, Jus Vitæ & Necis, Jus belli ac pacis, & alia Regalia Dictatori non ut *propria*, sed saltem *alieno nomine administranda concessisse*: Non aliter ac Rex, qui dormiturus aut peregrè abiens, in Tempus aliquod Summum Imperium alii administrandum dat, quod tamen evigilans vel domum rediens iterum recipit. *Thom. Hobbes. d. Civit. 7. §. 16. p. 135.*

§. 6. Modus autem conferendi Dictaturam ita se habebat; Cum semel Populus Senatui permiserat, ut privato consilio magistratum talem legeret, *suffragia populi* in creando eo non amplius expectabantur; salubri sanè consilio: Nam subito celeriq; remedio opus erat, nec angustia ac Difficultates, quæ ad manam se dabant

bant

banit repente, admittebant, ut rogaretur Populus, quem Dictator
 rem dici placeret. *V. Lipsius l. c. p. 297.* Ordinariè igitur iubente Se-
 natu renunciabatur Dictator, silente ac auspiciata nocte, *Liv. l. 9. c. 38.*
 in Agro Romano, qui Italia terminabatur *Liv. l. 27. c. 3.* vel à Con-
 sule, utpote à quo uno dici posse videbatur. *Liv. l. 22. c. 8.* vel à
 Consulibus *Liv. l. 8. c. 16. & 17.* Postea verò variatum interdum
 est, proditusq; Dictator extraordinariè sive per absentiam Consulù
 vel à Tribuno Militum Consulari potestate, ut A. U. C. CCCXXVII.
 Mam. Æmilius, *Livius l. 4. c. 31.* vel ab ipso populo A. U. C. DXXXVI.
 Q. Fabius Maximus, qui tamen Prodictator tantùm dictus est,
Liv. l. 22. c. 8. Sive per licentiam eorum, qui Dictaturam invasere,
 vel ab Interrege ut L. Sulla *Cic. l. 9. Ep. 18. p. m. 443.* Appianus *lib. 1. de*
bell. Civil. vel à Prætore, ut C. Julius Cæsar, *Dio lib. 41. fol. 191.* Con-
 fer. *Forster. l. c. p. 80. 81. Alex. ab Alex. l. 3. c. 23. p. 239. Pighius Tom. II.*
lib. 9. p. 188. Grævelmus l. c. p. 325.

§. 7. Conferebatur autem hæc dignitas ab initio solis Patriciis
 Consularibus (ita enim volebat lex, auctore *Livio l. 2. c. 17.* ut Consu-
 laris esset Dictator) utpote quibus indignum videbatur Dictaturam
 in promiscuo esse: Postea verò communicato cum plebe Consu-
 latu, etiam plebejis Consularibus communicabatur. Cum enim
 A. U. C. CCCXCVIII. omne nomen Etruscum, Tarquiniensibus
 Faliscisq; Ducibus exercitum contra Romanos duceret, adversus
 eum terrorem primus de plebe Dictator C. Martius Rutilus dictus
 est, teste *Livio l. 7. c. 17. Conf. Vauchopius de Vet. Rep. Rom. sect. 27. p. 465.*
Onuphr. Panvinus in Fastis. & Pighius T. 1. Ann. l. 4. p. 285.

§. 8. Existimant nonnulli Dictatore creato omnem omnium
 Jurisdictionem cessasse, Consules, Prætores ac reliquos Magistratus
 sub illius imperio conticuisse, neminemq; in potestate mansisse,
 nisi Tribunos Plebis. *Lipsius l. c. p. 298. Volateranus l. c. Grævinus Pi-*
so de Compar. Rom. & Vener. Mag. p. 57. Lampadius in Rep. Rom. Germ.
P. 2. n. 8. p. m. 57. Zervetotius Observ. ad Flor. l. 1. c. 13. p. 37. Clapmar.
l. c. cap. 23. p. m. 214.

§. 9. Verùm hæc non omni ex parte veritati consentanea
 videntur sive de prioribus sive de posterioribus loquantur tempo-
 ribus; Si enim ad priorum Dictatorum tempora respiciant, ubi
 Dictatores Optimâ lege creabantur, quod fieri solebat, quàm diu
 nulla

nulla à Dictatore ad Populum concedebatur Provocatio, tunc sanè certum est Consules & alios Magistratus publico munere fungentes deposuisse Potestatem, teste *Dionysio l. c.* Falsum tamen Tribunos Plebis in potestate mansisse, quia eo tempore, quo T. Lartius, A. Postumius & M. Valerius sine provocatione creati, nondum erant Tribuni, sed instituti demum A. U. C. CCLX. *Livius l. 2. c. 33.*

§. 10. Si verò tempora post creatos Tribunos plebis attendant, patet; non semper reliquos Magistratus desuisse, sed, præter Tribunos plebis, in Magistratu mansisse interdum Consules *Liv. l. 3. c. 28. Liv. l. 4. c. 27.* interdum etiam Tribunos militum, *Liv. l. 5. c. 48. V. Cujacius ad d. l. 2. §. 18. ff. de O. J. p. m. 1310. Sagittarius ad Clapmar. l. c. p. 192. seq.*

§. 11. Non ergò dicto Dictatore, se abdicare cogebantur alii magistratus, sed duntaxat plenum illud imperii jus *in eâ re, ad quam Dictator creatus erat*, amittebant, testante id ipsum Dictatore Camillo, apud *Liv. l. 5. c. 49.* Qui palàm negabat, Pactionem cum Gallis à Tribuno Militum Q. Sulpitio factam, ratam esse, quæ scilicet, posteaquàm ipse Dictator creatus, injussu suo ab *inferioris Juris* Magistratu esset inita. Itaque ceteri magistratus permanebant quidem, sed adversus jussa Dictatoris maximi in præsentis negotio magistratus nil poterant, cum eorum Acta, si ex re esse videretur, irrita faceret. *Conf. Pighius Tom. I. Lib. 3. p. m. 227.*

§. 12. Splendorem & Auctoritatem Dictatori conciliabant *Insignia*, quibus eum ornatum armatumq; exhibent Historici. Oblati nimirum illi fuere Eqvi phalerati, oblatae Vestes purpureæ, adstiteres Lictores cum Fascibus atq; securibus, præivere etiam Apparitores, Viatoresq; qui turbam submoverent. *V. Dionys. lib. 10. c. 28.*

§. 13. Numerum Lictores, Fascium atq; securium quod attinet, maxima Authorum de eò est dissensio. Nam *Plutarchus in Fabio* narrat, eum Dictatorem cum XXIV. fascibus statim processisse in forum, ut populo vim ostenderet ejus Imperii. *Dionysius etiam l. c.* de L. Quintio Cincinnato, qui A. U. C. CCXCV. ab opere agresti ad Dictaturam vocatus est, perhibet, quod viginti quatuor ipsi Lictores cum virgis & securibus assistere jussi fuerint. Hos sequuntur *Alex. ab Alex. l. 1. c. 27. p. 45. Modius Novantiq. Lect. Ep. 190. p. 483.*

B

§. 14.

§. 14. Huic tamen vulgatæ sententiæ adversatur *Epitome Liviana* lib. 89. in qua claris verbis scribitur: Sulla Dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit. De Sullâ etiam *Appianus* lib. 1. *Civ. bell.* testatur, quod illi XXIV. Secures prælatæ fuerint. Nec Livio quoq; contrariatur *Dio*, qui lib. 54. disertè tradit, cum viginti quatuor fascibus ad Augustum accessisse Populum, eumq; orasse, ut se Dictatorem creari pateretur. Nobis, cum à J. Lipsio *Elect.* l. 1. c. 23. p. 432. & The. Hoppingio *de Jur. insign.* l. 2. §. 7. sect. 1. membr. 4. pag. 124. ex professio hanc materiam tractantibus, nondum decisivum latum sit Judicium, placet hîc ἀπέχειν, quam in obscurâ ac incertâ re plura verba perdere.

C A P. I V.

DE DICTATORIS POTESTATE.

§. I.

Devenimus nunc ad ipsam Dictatoris potestatem, quàm plenam atq; propriam eî multi rerum Politicarum non Proletarii, sed celebres & magni nominis Scriptores adjudicare solent. *Grotius* de *J. B. & P.* lib. 1. c. 3. §. XI. n. 1. *Conringius* in *Disput. de Regno* th. 17. seq. *Ziegler.* *Disput.* I. de *I. M.* th. 24. *Gr. Barclajus* l. 3. contra *Monarchom.* c. 5. p. 133. *Reiffenberg.* in *Mon. Pol. ex Livio* CCCLXXVII. p. m. 108. *Hor- nius* de *Civ. l.* 2. c. 10. p. 465. seq. *Dan. Otto* in *Jure Publ.* c. 3. p. 48. *Clapmarus* in *Arcan.* l. 4. c. 19. p. m. 207. *Th. Zuvingerus* l. c. p. 4247.

§. 2. Nobis verò, salvâ tantorum Virorum Autoritate, in præsentiarum contrariam defendere placet sententiam, quod nempe non ipsam *Majestatem*, quæ semper apud Senatum Populumq; Romanum tunc permansit, sed saltem ejus *exercitium* habuerit Dictator, & quidem ad eam rem solummodò, propter quam dictus fuit, non ad alias etiam, quæ ad immutandum Reipublicæ statum facerent. *Vid.* *B. Carpzovius* ad *Leg. Reg. Germ.* c. 13. sect. 2. §. 11. p. 875. *Wurmser* *Fascic. & P. Ex.* 3. q. 3. p. 101. *Perezus* in *J. P.* c. 22. p. 51. *Lampadius* l. c. p. 56. *Alb. Gentilis* in *Disp. de Absol. Pot.* p. m. 4. *Bodin* l. 1. de *Rep.* c. 8. p. 123. *Besoldus* in *Synops. Doctr. Pol.* lib. 1. c. 1. th. 25. *N. Machiavellus* l. 1. de *Rep.* c. 34. p. m. 149. *Boxhornius* in *J. Pol.* l. 1. c. 8. p. 100. *Bæclerus* in *Not. ad Grot.* p. 240. seqq. & ad *Vell. Paterc.* p. 107. *Hobbes* de *Civ.* c. 7.

§. 16.

§. 16. p. m. 133. Liebenthal, Coll. Polit. Diss. 7. c. 22. p. m. 182. Bornitius de Jur. Maj. c. 11. p. 92. Græsvinckel de J. M. c. 10.

§. 3. Sed audiamus Eorum, qui Dictatoris Imperium plenum ac proprium fuisse volunt, argumenta. Et primò quidem, Opinionem Politicorum, arbitrantium; Perpetuitatem referendam esse ad Naturam Majestatis, adeoq; temporario imperio gaudentes, saltem Administratores appellandos; removendam esse dicunt, quia Tempus, ut extrinsecum accidens non posset penetrare intimam Potestatis constitutionem.

§. 4. Verum enim verò primò adhuc dubitari posset, dari exemplum Imperii Summi temporarii, quia repugnat summo Imperio quicquid fiduciarium & à negotio certo ac tempore suspensum est: Bœcler. ad l. c. Grotij p. 242. Deinde aliud est duratio *in se* & *ratione concedentis Summam Potestatem*, considerata. Statuimus eòquidem Perpetuitatem atq; Durationem *in se* consideratam non facile posse immutare naturam Summi Imperii, quia difficulter destruuntur essentialia ab Accidentibus extrinsecis: Interim tamen longè aliter sese rem habere, si consideretur Perpetuitas *ratione concedentis Summam Potestatem*. Tunc enim interest; an constituens *perpetuam* ac firmam & nullo interveniente alio modo, quàm aut morte constituti, aut liberâ etiam ejus nec ex pacto dependente Renunciatione finiendam: An verò ad tempus restrictam & *revocabilem* alteri det Potestatem? Si *priori modo*; durationem non impedimento esse, quo minus possessori vel citius morienti, vel sponte à perpetuâ ac firmâ sibi concessâ potestate recedenti attribui plena Majestas possit, concedimus: Si verò *posteriori*, negamus ac pernegamus, quia tunc restrictio Temporis simul infert inferioritatem quandam Majestati adversam atq; contrariam. *Adi Conringium Diss. de Regno th. 27. Hobbes l. c. p. 131.*

§. 5. Nec est quod distingvant hic cum Grotio inter potestatem concessam, quæ quovis tempore revocabilis sit, & inter eam, quæ ante legitimum tempus revocari non possit: Illam, concedentes precariam, hanc verò veram, plenam ac summam asferentes. Patet enim ex exemplo, quod adjicit Grotius, de Tutore Regis adhuc infantis ac Pupilli hoc assertum infirmissimum esse: Siquidem & huic, licet potestatem ante finitam Principis mi-

norenitate[m] irrevocabilem habeat, meritò tamen omnis Maje-
stas detrahitur à *Carpzovio l. c. p. 875. Zieglero ad l. c. Grotij p. 136.*
& *Disput. l. de Jur. Maj. th. 28. Bœclero ad Grot. p. 243. Hornio l. 2. c. 8.*
p. 378. & l. c. p. 469.

§. 6. Jam sicuti sese res cum his habet, qui Principe Mi-
norenni Tutorio nomine Remp. administrant, similem in modum
etiam Dictator alienum jus tractabat, non suum, quodq; elapso se-
mestri revocari ab eo, etiam nolente, optimo jure justoq; modo
poterat. Non enim in ipsius sed concedentis manu erat tempo-
raria hæcce duratio.

§. 7. Dicunt porrò: *Ex Historicorum Romanorum monumentis*
demonstrari posse liquidè, Belli, Pacis & omnium aliarum rerum plenam
potestatem habuisse, ac proinde Dictatorem Summæ Majestatis diademate
esse condecorandum.

§. 8. Et fatemur sanè argumentum hoc de Jurium Maje-
statorum exercitio summiq; imperii administratione primâ fronte
satis plausibile esse. Sed quantum ad Historicos unde hoc de-
monstrant; respondeo cum Summo Polyhistore Argentinense,
Bœclero ad Vellej. p. m. 109. Eos de Dictatura sæpè locutos fuisse
populariter & παχυλῶς, nec sine figurâ ad regium Imperium eam
comparasse; sicut vel exemplo Consularis Imperii intelligitur,
de quo eundem admodum loqui solent. Deinde si ad fundamen-
tum & non ad speciem externam sæpius fallentem respicimus, nec
tantum spectamus, monente iterùm *Bœclero Not. ad Grot. l. c. p. 240.*
quantum, sed à quo & in quantum Dictatori commissum sit, vide-
mus; rem illâ objectione minimè reddi expeditam.

§. 9. Notum enim est, posse in Democratia aut Aristo-
cratia, & ex his mixto statu extare Magistratum aliquem eminenti-
torem, & tunc esse quidem simulacrum aliquod Monarchiæ in Ad-
ministratione, Summam tamen potestatem reverà penes conce-
dentem residere. *V. Magnif. p. t. Academia nostra Rector Jac. Thomafius*
in Phil. Pract. Tab. XLIII, Conring. Disput. de Reb. P. in gen. th. 51. & 59.
Monzambano c. 6. p. m. 165.

§. 10. Sic in Republicâ Venetâ Dux quidem primum lo-
cum tenet; in ejus enim nomine obsignantur & prodeunt Episto-
æ, promulgantur leges, imò, ut paucis multa dicam, in eo stat bo-
ni

ni communis cura. *Contarenius de Rep. Venet. lib. 1. p. m. 104. Cotovicus in Synops. Reip. Venet. c. 2. p. 269.* Et nihilominus tamen ejus forma non Monarchica est, sed Aristocratica. Vid. *Guer, Pisonem l. c. p. 122. Carpzov. l. c. sect. 4. §. 26.*

§. 11. Simili modo in Statu Reip. Romanæ mixto ex Aristocratia ac Democratia, re exigente, extabat majoris potestatis Magistratus, Dictator, qui quasi Monarcha ac Rex omnia majestatis jura, in quantum ad negotium præsens requirebantur, exercebat: Unde tamen nihil amplius, quam modus administrandi Monarchicus firmiter concludi poterit.

§. 12. Urgent porrò: *Ipsam habuisse tam merum Imperium, ut nemini licitum fuerit ab eo provocare.* Sed nec inde summum & absolutum conficitur imperium; Licet enim Extrema Provocatio tam amplum regale sit, ut vix alteri ejus exercitium committi possit, nihilominus tamen tales à summa Potestate constitui Judices possunt, à quorum sententia nemini appellare liceat. *Bæclerus de Judiciis p. m. 60. Horn. l. 2. c. 7. p. 370. Dan. Otto de Majest. Imper. c. 2. p. 45.*

§. 13. Sic ex Historia Romanâ notum est Caligulam Magistratibus liberam Jurisdictionem & sine sui Appellatione concessisse. *Sveton. c. 16. p. m. 437.* Et de Gvilelmo Anglorum Rege ex Ingulpho refert Seldenus *l. 2. Jan. Angl. p. m. 73.* eum tales instituisse Judices, qui sine Provocatione Jurisdictionem atque Judicia exercerent.

§. 14. Confugiunt tandem ad *L. Papij Cursoris contentio- nem cum Senatu, Consulibus, Tribunis & universo Populo,* quam jucundam & lectu memoratuq; dignissimam narrat *Livius l. 8. c. 30. seqq. Conf. Val. Maxim. l. 2. c. 7. & Eutrop. Brev. l. 2. fol. m. 71.* Ex eâ putant se sufficienter probaturos esse; Populum Romanum se abdicasse non solum exercitio ad tempus, sed etiam ipsâ majestate.

§. 15. Verum non satis accuratè affertur exemplum hoc, quia est sequiorum temporum, (acta nimirum hæc sunt A. U. C. *CCCCXXIX.*) de quibus se non adeo sollicitos esse ipsi adversarii confitentur. Imò si assumatur, poterit optimè de rigorosâ disciplinæ militaris observantia intelligi, quæ præcipuum decus ac stabilimentum Romani Imperii fuit. *Vide C. A. Rupertum in Diff. ad Val.*

Max. l. c. 1. §. 1. p. m. 170. 171. qui Papirium Dictatorem unâ militari disciplina munitum fuisse aduersus strepitum totius exercitus, maiestatem Senatus, favorem Populi, ac Tribunitium auxilium, docet. Quicquid proinde à Papirio actum, factum dicimus ab eo, tanquam à Summo Belli Duce non interturbando temerè in negotiis militaribus per molestas Provocationis ambages.

§. 16. Nec alicui admirationem excitare debet, quod Senatus Populusq; Romanus noluerit absolutâ & extraordinaria, quam habebat, potestate uti, & Q. Fabium, Equitum Magistrum, supplicio destinatum eximere. Populi enim intercessio ita intelligi debet, sicuti Principis, qui, Ratione Status id postulante, intercedit potius penes magistratum, cui jus hoc in tantum commiserat, quam ut exerceat supremam iudicandi potestatem: Ne illa exercita in consequentiam postea trahatur, & illius Magistratus imperium diminuatur atq; vilescat.

§. 17. Denique etiam nonnulli hanc iuvare causam putant; quod à Livio Dictatori Majestas adscribatur; Item, quod ipsi fuerint Insignia Regia, Lictores, Fasces, Secures. At argumentum hoc sibi magis, quam seriâ refutatione dignum est, cum certissimum sit: à Titulis ad rem, & formâ externâ ad internam non valere consequentiam. *Excell. Thomasius cit. Tab. theorem, 4. Monzamban. c. 5, pag. m. 109.*

§. 18. Sic non dissimili consequentiâ sese deridendum propinaret, qui ex splendore externo & titulis, verum Imperium attribueret Regi Poloniae: Ejus enim Autoritas in ipsa Polonia admodum restricta est, & Rex tantum Majestatem exterius repræsentat, quam habet in Comitibus residens & omnium Ordinum autoritate iudicans. *V. Tubingensis Academiæ fidus pulcherrimum, Thom. Lansius de Princip. Prov. Europ. p. m. § 20. Barclajus l. 4. c. 13. pag. 282. Arniseus Pol. c. 8. p. 191. seqq. Martin. Cromerus in Descript. Polon. l. 2. p. 124. Guagninus in Descript. Polon. p. m. 252.*

§. 19. Ex hætenus allatis argumentis, datisque Responsionibus satis apparet, nihil amplius probari ac extorqveri posse, quam fictam atq; effigiatam Majestatem, consistentem in nuda Regalium administratione, factâ à Dictatore nomine Senatus Populiq; Romani.

CAP.

CAP. V.
DE REMEDIIS COERCENDÆ
DICTATURÆ.

§. I.

Nunc ubi de Potestate Dictatoris egimus, lubet paucula adhuc adjicere de remediis illis, quibus usi Veteres, ne Dictatura ad Libertatis oppressionem & ad Regnum in Rem Romanam reducendum tenderet, præprimis cum non exiguum inde robur nostræ de Dictatoris potestate sententiæ accedere videatur.

§. 2. Et primò quidem cautum atque provisum erat, *ut nemini liceret Magistratum hunc ultra sextum mensem retinere*, aut etiam paucos sibi dies, sine consensu Superiorum, ad Dictaturam gerendam addere, nisi voluisset diem sibi à Tribuno Plebis dici, quod usu venisse A. U. C. CCCXC. L. Manlio Imperioso Auli filio, testatur Cicero *lib. 3. de Off. p. m. 537.* & Livius *lib. 7. c. 3.*

§. 3. Hoc optimo atque salutari factum consilio est: Postquam enim hæc cautio atque provisio cessaret & Dictatura Syllæ & Cæsari nimis prorogaretur, aperiebatur fenestra Tyrannidi, insequereturque inversio libertatis & publicæ Rei. V. Christoph. Forstnerus *ad Tacit. l. 2. Annal. p. 229.*

§. 4. Hinc satis prudenter pronunciant ac svadent Politici, quod popularis Imperii necessaria lex esse debeat, temporarios habere Magistratus. Dn. Forstnerus *ad l. 4. Annal. p. m. 574.* Clapmar. *l. 4. c. 19. p. 207.* ne magnitudo & diurnitas Potestatis, ut fieri solet, erumpat in licentiam, ac publicam Rem penitus evertat. Natal. Comes *l. 9. Histor. p. m. 204.* Conf. Rupert, *Observ. ad Flor. l. 1. c. 9. p. 149.* Zervecot. *ad Flor. l. 3. c. 14. p. 242.* Boxhorn. *J. Pol. lib. 1. c. 8. p. 101.*

§. 5. Deinde etiam ex Dione *l. 36. p. 18.* constat, non licuisse Dictatori Italiam egredi & extra eam cum Imperio esse. Ut semper in oculis populi maneret, Boxhorn. *l. c. in Not. p. m. 108.* nec alias gentes, si suo deesse officio vellet, forsitan posset in Concilii Societatem pertrahere Zervecot. *ad Flor. l. 1. c. 13. p. 38.* Sagittarius *in Not. ad Clapmar. p. 96.*

§. 6. Tertiò nec Dictatori fas erat, nisi ad populum tulisset
egrum

AK Tc 1274

equum conscendere Liv. l. 23. c. 14. sive quod majores pedestribus copiis vires inesse crederent, & propter hoc Dictatorem ipsum, velut Ducem inter pedites manere vellent, sive ut Dictator majori ad tempus potestate instructus, sic saltem se intra officii sui terminos contineret, nec insolentior fieret, si videret in hoc se esse inferiorem, ac plebi ævari. Vid. Plutarchus in Fabio.

§. 7. His ita observatis, priusquam manum de Tabula moveamus, placet *adhuc duo* subjungere; *Primò*; quod post C. Julii Cæsaris mortem Dictatura è Republica Romana lege Antonia penitus sublata fuerit. *Dio l. 44. p. 303.* ac proinde non injustè erroris accusari illos, qui Augustum sub Dictaturæ nomine atq; honore regnasse affirmant. *V. Freinshemius ad Flor. l. 4. c. 12. p. 423. seq. Bæcler. ad Vell. pag. 171. Rupertus ad Pompon. de O. J. p. 200. seq.*

§. 8. *Secundò* subjicimus descriptionem aliquam Dictaturæ hoc modo: *Dictatura Romanorum fuit Magistratus inter extraordinarios summus, Viro Consulari, in Agro Romano, nocte silente ad certum temporis spatium collatus, ut Rempublicam in maximis periculis domi militiæq; vindicaret, ejusdemq; salutem procuraret.*

§. 9. Essent & alia, quæ his adjungi haud incommodè possent, sed in ea omnia scrupulosius inquirere neq; instituti nostri est, neq; si vel maximè esset, ob ingenii & rei literariæ suppellectilem curtissimam liceret. Figimus igitur pedem & Deo Ter Opt. Max. devotas dicimus Gratias.

Επίμετρον.

Cum Clariss. Boxhornius in *Inst. Pol. l. 1. c. 8. p. 100.* Dictatores inter Magistratus inferiores numeret, hinc mihi videtur liberari posse à Censurâ nonnullorum, qui in eâ sententiâ sunt, ac si ipse *Diss. IX. de Imp. Rom. Dictatoribus* adjudicasset Imperium, quod solâ duratione à Regno absoluto differret. Nunquam enim alievis summum habere Imperium potest, & insimul etiam Superiori subjectus esse.

F I N I S.

VDT

M. 15

ITAM

MA

112

RO

ATA

21

11

10111111

11111111

11111111

11111111

11111111

11111111

11111111

